

tatis exercitii quae zelus et amor benè suggesterunt; et hæc ratione illos avocabunt à popinis, diversoriis, comessationibus, saltationibus et alii peccati occasionibus. Unde, dictis diebus sanctè transactis, haud erit difficile eos, per totam hebdomadam, servare insontes.

5. Qui divino applicantur ministerio sapienter facient si dominicis et festivis diebus, paulò maturius quām caeteri, è lecto surgant; ut nempe antequam se conferant in ecclesiam ad audiendas fidelium confessiones, solitum impendere possint orationi mentali tempus, et suis necessitatibus, priusquam alienis, prospicere sicut ordo caritatis exigit. *A te, inquietabat sanctus Bernardus Eugenio papae, tua consideratio inchoet, ne frustra extenderis in alia, te neglecto. Quid enim prodest, si universum mundum lucreris, te ipsum perdens? Sapiens, sibi sapiens erit, et bibet de fonte putei sui primus ipse.* Qui aliter se gerunt et negligunt quod in isto monito praescribitur, communiter, praedictis diebus, nihil dant considerationi, nihilque præparationi ad missam; sed, his praetermissis, quā pietate possunt celebrare, quoive zelo et fructu hortari fideles! Hinc patet quanti sit momenti præsens montium. Adverte autem quòd, iisdem diebus, parvae horae non sunt remittendae ad tempus de

«cura commissa est, oves suas agnoscere... verbique divini prædicatione pascere... Plebani et quicunque paroquiales «vel alias curam animarum habentes ecclesias obtinent, per «se, vel per alios idoneos, si legitime fuerint impediti, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis: docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, virtutia quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant.»

Hinc Bonacina, theologus moralis minimè rigidior, in Tract. de Legibus, disp. 5, sic habet: «Ego arbitror mortaliter pecare parochum, si uno continuo mense integro, aut etiam si duobus, vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur, quia haec videtur materia gravis.» Ita et Pontas, V. Parochus, cas. 1.

quo suprà, p. 385, num. 9, sed dicendae immediate post orationem mentalem, aliás ad vesperam usque differentur, et secus quām par est exinde recitabuntur.

6. Diaconi, subdiaconi et clerici inferiorum ordinum duo in festis diebus habent munia implenda, quorum primum est ut, iuxta præscriptum conciliorum, divinis intersint officiis quā par est modestiā, exemplari et angelicā; et quae sui gradū sunt functiones ibi religiosè obeant, summo id ducentes honori, et pensantes quōd sic tantum de inferiori gradu potiora capere possunt et mereri; alterum ut catechizandis rudibus ac pueris vacent, in schola ipsis assignata; quod praestare debent maiori quo possunt zelo et affectu, quia munus istud, 1.º Christo Domino est acceptissimum; 2.º animarum saluti planè necessarium; 3.º maximi pro ipsis meriti, testante Ecclesiā quōd si fideliter et utiliter impleverint officium suum, habueri sint partem cum ipsis qui verbum Dei benè administraverunt ab initio. (Pontif. in Ordine Lect.).

Pro quolibet mense.

1. Initio mensis, quempiam Sanctorum qui in illo occurrit tibi in specialem patronum sortire; sub eius tutela te et tua constitue; singulis diebus, manè scilicet et vespere, aliquam ad eum precem dirige pro tuis et aliorum quos intenderis necessitatibus. Vitame eius lege, et in certa quam adnotaveris virtute te illi, per mensem, stude conformare; tandem in festo illius die, praemissa in pervigilio debitā præparatione, ad sacram synaxim, si liceat, in eius honorem accede; gratulare illi de sua gloria et beatitudine, et gratis Deo actis pro beneficiis seu ei, seu tibi per eum collatis, suppliciter illum ora ut tibi favere perget, non per mensis cursum tantum, sed et per totam tuam vitam. Atque haec est multorum piorum praxis, ad instar sancti Francisci Borgiae qui eius auctor perhibetur; et ea omnia quae complectitur satis monstrant eius utilitatem. Eam ergo amplectere; sed novum quovis mense assumendo protectorem, vide ne veterum obliyiscaris. Omnia habe indicem, et exemplo

sancti Aloysii Gonsagae horum nomina identidem recites et invoces.

2. Versus finem mensis, statue tibi diem in qua, salutis suae studiosorum exemplo, te speciali modo ad mortem disponas; nam à momento mortis pendet aeternitas, et in hoc totius felicitatis nostrae cardo vertitur, ut benè moriamur. Quod autem hac de causa peragendum tibi est ad sequentia reducitur: 1.^o praestitutā die, subtrahe te, saltem per aliquod tempus, à solitis occupationibus et omnibus superfluis locutionibus, ut tibi et uni necessario vacare possis; 2.^o meditatio tua matutina de morte sit eiusque consecutarii, et conscientiam tuam diligenter discutiens, vide quid te angeret et turbaret, si iam fam moriturus esses; et fac nunc quod tunc facere velles; 3.^o accede ad sacrum poenitentiae tribunal, et confessionem tuam perage velut pro ultima vice, et mox ad Dei iudicium citandus; tum, si concedatur, corpore Dominicō, quasi coelesti viatico, agonem tuum munias; 4.^o die illo, sic te in omni facto et cogitatione tenetas, quasi modo cursum tuum consummatus; 5.^o vespertinis horis, siste te coram sanctissimo Sacramento, et ibi de novo omnibus peccatis tuis cum dolore et magna displicentia deploratis, elice actus virtutum qui solent moribundis suggeri, fidei nimirum, spei, caritatis, resignationis divinae voluntati, et acceptationis omnium quae ei placuerint, et in fine, pro te recita preces *Commendationis animae*: eas longè ante exitum suum quotidie recitabat sanctus Vincentius à Paulo. *Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea.* (Ioan. xiii, 17).

3. Semel saltem per mensem cum patre tuo spirituali colloquere de animae tuae statu et de tua agendi ratione¹. *Hoc enim modo fiet*, inquit sanctus Basilius in Re-

¹ *Summarium capitulū rationis conscientiae et querendorum à redente*, ex Reg. Soc. Iesu: 1. An vivat contentus iuxta suam vocationem?

2. Quomodo se habeat circa obedientiam, paupertatem, castitatem, aliasque virtutes, et quarum praecipue studio intensus sit?

3. An sentiat aliquas animi perturbationes, aut tentatio-

gulis, ut et quod laude dignum sit confirmetur, et quod minus probandum congruo remedio sanetur. Neque verò existimes nullo tibi, utpote satis eruditō, opus esse consiliario; quia, ut ait sanctus Chrysostomus, solius Dei est nullo opus habere consilio; et iuxta S. Ioannem Clim. qui sibi ipsis confidentes ita opinati sunt, miserè seducti sunt. *Ne innitaris prudentiae tuae* (Prov. iii), sed *consilium semper à sapiente perquire*. (Tob. iv). Nam ut legitur apud sanctum Bernardum, *hoc vult Deus ut homo per hominem doceatur; nec aliter, ex sancto Dorothaeo, licet salvari.*

4. Qui ecclesiarum regimini praefecti sunt, debent, quovis saltem mense, sacras renovare species (praecep-tum est ut fiat qualibet hebdomada) et examinare statum, tum sacrae aedis, tum eius supellectilium, an nempe omnia sint, ut par est, munda et ordinata; nam, in collatione primi ex minoribus ordinibus, *fidelissima* nes molestas; et de facilitate seu difficultate, ac modo eis resistendi; et ad quos affectus vel peccata sit magis propensus et incitatius?

4. Quem experieratur in se zelum animarum?

5. Quomodo spiritualibus rebus sit affectus? De oratione mentali et vocati; an illi vacet, et quem modum in ea teneat?

6. Num in usu rerum spiritualium consolationem et devotionem habeat, an vero contrà desolationem, ariditatem et vagationem animi patiatur; quomodo in eis se gerat?

7. De fructu quem ex communione, confessione, examine particulari et aliis exercitiis spiritualibus percipiat?

8. Num post ultimam rationem conscientiae quam reddidit, maiorem an minorem fructum fecerit; quem animū expriatur ad perfectionem consequendam?

9. Quomodo observet regulam sibi praescriptam, et quae sui sunt officia?

10. De mortificationibus, poenitentis et aliis exercitatio-nibus quae faciunt ad spiritū projectum; et in specie de p̄aeparatione ad iniurias et ad alia quae ad Christi crucem pertinent ferenda, atque de eorum desiderio?

11. De sociis, et quomodo ex eorum conversatione proficiat in Domino, et an aliqui plus sit familiaris quam aliis?

12. An aversionem animi sentiat ab aliquo, et quomodo sit affectus erga superiores et socios?

horum cura ipsis iniuncta est , et sine gravi culpa eam nequeunt negligere . (Vide sup. p. 383, n.^o 7). Et semper memineris huius Ecclesiae moniti ad ostiarios : *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus quae his clavibus recluduntur.*

3. Si in ea, quā manes, dioecesi instituti sunt et vi-
gent coetus illi ecclesiastici , in quibus de pietate , doc-
trina, moribus, conscientiae casibus, collationes haben-
tur, frequens iis et assiduus adesto; quia nihil aptius et
utilius ad fidei et morum quaestiones elucidandas , ad
unitatem doctrinae comparandam , ad confitatem
regiminis servandam , ad animorum consensionem fo-
vendam. Ut optatum tamen pariant fructum, oportet,
1.^o ut imparatus nullus accedat, sed ut quisque praevi-
derit quae tractanda sunt, et ad ea suum adhibuerit stu-
dium; 2.^o ut procul amendentur contentiones, aemula-
tiones, clamores, alive excessus qui in tali circumstantia
contingere possunt. Quod ut tu et alii praestetis, cogi-
tate et convenienti causam , et convenientium qualita-
tes et characterem.

6. Concilia volunt ut clerici comam et tonsuram, pa-
tentibus auribus, habeant congruentes. Ita concilia Bas-
il., Later. II et IV, etc. Ad morem gerendum tam gra-
vi auctoritati, cura frequenter renovari coronam tuam
(singulis hebdomadibus, aut saltem quindenis, aiunt
plures synodi) , et capillos tibi resecati circiter quovis
bimestri. Quoad eorum cultum, seu componendi mo-
dum, eadem concilia iubent ut non studiosos, sed sim-
plex sit; verba sunt concilii Mediol. I sub sancto Carolo;
et quām iure merito iudicare potes, 1.^o ex iis quae, iam
ab apostolicis temporibus, contra feminas torti et compo-
ti capilli dicta sunt; 2.^o ex modo quo Christus Dominus
inter homines apparuit, *humilis, nempe et modestus,*
ait sanctus Bernadus; 3.^o ex coronaie illius similitudine
quam clericī gestant in capite, quaque profectō non
benē congruit cum crinibus mundano more ordinatis.
*Audi haec, fili, et ne dimittas legem matris tuae (Prov.
1) ut huic conformater saeculo cui renuntiasti, aut illis
pseudoclericis de quibus sic sanctus Hieronymus (Epist.*

ad Eustoch.).: *Tales cū videris, sponsos magis aesti-
mato quām clericos.*

7. Quatuor anni temporibus recurrentibus, preces et
pia opera pro remissione peccatorum proximè commis-
sorum, pro fructuum conservatione, pro Christi minis-
trorum vocazione et missione, ferventius instaura. Haec
est enim Ecclesiae mens et voluntas; haec institutionis
quatuor temporum motiva, quibus eò promptius ac li-
bentiūs oportet te cedere, quod magis illam piam matrem
diligere, et istorum gravitatem ac pondus melius debes
percipere.

Pro quolibet anno.

1. *Cum diuturnā experientiā compertum sit, ut aie-
bat S. P. Clemens XI in epist. encyclica, an. 1710, ad
retinendam conservandamque sacerdotalis ordinis digni-
tatem et sanctimoniam, maximopere conducere ut ecclē-
siastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent,
quibus quidquid sordium de mundano pulvere contrac-
tum est commode detergitur, ecclesiasticus spiritus repa-
ratur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem
extollitur, rectè sancteque vivendi norma vel instituitur
vel confirmatur; ideo ne hanc utilitatem tibi propositam
praetermittas, sed magna cum alacritate suscipe, et
quotannis aut saltem biennio, sex aut octo dies, in pio
aliquo secessu dictis exercitiis operam da. Consule te
generalem, ab ultima recollectione, confessionem, in
qua recogitans in amaritudine animae tuae omnia pec-
cata, omnesque defectus, securius novissima provide-
bis, gaudium in coelo, et tuae conscientiae pacem ac
serenitatem paries. Si unde testamentum condas habes,
sapienter facies si illud tunc conficias aut confirmes.*

2. *Diem anniversariam regenerationis tuae, conver-
sionis et ad ordines promotionis, habeas solemnem, et
celebra eam cultu congruo. Si enim, inquit Micrologus,
De eccles. observ. c. 50, quilibet suum natalem, quo ad
aeternam mortem natus, observat, quanto magis illum
observare debet, quo ad aeternam vitam est regeneratus?*

Sanctus Carolus , in tertio concilio Mediolanensi , sanxit ut sacerdotes , quo die eorum quisque sacerdotio initiatus est , illum etiam quotannis recolant missae sacrificio et precibus . Religioni tibi sit à tam sancto instituto nunquam deviare .

3. Lege quotannis ritus et rubricas , simul et canones ac statuta que ad te spectant , ut ea semper accuratè valles custodire , item praecipuos theologiae , seu moralis , seu scholasticae tractatus , qui paulatim exidunt , nisi identidem horum refricetur memoria ; praeterea Novum Testamentum integrum , et Vetus saltem biennio . *Divinas Scripturas* , ait sanctus Hieronymus , *saepius lege ; imo nunquam de manibus sacra lectio deponatur... Tenenti codicem somnum obrepatur , et cadentem faciem pagina sancta suscipiat . O utinam , te è vivis sublato , sic tuum inscribi possit sepulchrum ,*

Te , veniente die , te decadente , legebat ,
Lex sacra ; aeterno , lector , nunc lumine gaudet !

4. Praefige tibi unum particulare et radicale vitium , cui utpote infensissimo tuae perfectionis hosti , bellum per totum annum inferas ; nec convertaris donec desiciat . Eodem zelo virtutem huic vitio contrariam exerce ; et hoc spectet quotidianum examen , de quo suprà , pag . 388 , n . 9 . *Si omni anno unum vitium extirparemus , citò viri perfecti efficeremur .* (De Imit . lib . 1 , c . 1 , n . 5) .

5. Indulgentias quae identidem per annum lucrandaes sese offerunt tibi et aliis procurato , èoque diligentius quò his magis indigetis , et maiora sunt vestra erga Deum debita . Tanti boni negligentia non argueret certè magnam fidem , nec magnum zelum . Vide in Tractatu de Indulgentiis D . Collet , vel potius D . Bouvier , indulgentias omnibus fidelibus communes , et eas quae certis rebus , puta coronis , crucibus , numismatibus , etc. , affixae sunt ; hinc intelliges quām facilè sit huius beneficii fieri saepe participem .

6. Si pastor sis animarum , semel saltem quotannis totam lustra et visita parochiam , vicario tuo aut iudi magistro comite . *Bonus pastor cognoscit omnes oves*

*suis , et vocat eas nominatim . Habeas catalogum omnium familiarum in particulari ; et pro virili parte scias omnium earum membrorum necessitates , tam spirituales quam temporales ; quibus subvenire , eo meliori quo poteris modo , studeas , iisdem permotus sensibus quibus Apostolus , dum dicebat : *Libertissimè impendam et superimpendar ipse pro animabus .**

Pro quelibet tempore .

1. Memor semper sis vocationis tuae , eoque nomine saepe Deo gratias agas , conerisque maxime vitam , ut ministrum Christi decet , instituere : *cùm tam multae utilitates ex boni , tot detrimenta ea mali vita sacerdotis proficiantur .* (S . Carolus).

2. *Omnibus diebus vitae tuae in mente habeo Deum ; et cave ne aliquando peccatas consentias , et praetermissas praecepta Domini Dei tui .*

3. *Quomodo poteris , ita esto misericors . Si multum tibi fuerit , abundanter tribue ; si exiguum , etiam exiguum libenter impertiri stude , quoniam eleemosyna ab omni peccato et à morte liberat .*

4. *Superbiatum nunquam in tuo sensu , aut in tuo verbo , dominari permittas ; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditia .*

5. *Quod ab alio oderis tibi fieri , vide ne tu aliquando alteri facias .*

6. *Omni tempore benedic Deum ; et pete ab eo ut vias tuas dirigat , et omnia consilia tua in ipso permaneant .* (Tobias , in admon . ad filium , c . 4) .

7. *Quia , ut observant sancti Patres , et constans docet experientia , à minimis incipiunt qui in maxima proruunt : ideo nec parva peccata , nec parva officia unquam negligas ; sed semper illa sedulò devita , et haec fideliiter imple . Qui timet Deum , ait Scriptura , nihil negligit . Et sanctus Hieronymus : Mens Christo dedita aequa in maioribus et in minoribus intenta est .*

8. Quotidiana exercitia , et solitas ac ordinarias actiones , etiam naturales , stude semper bene facere : 1.º exemplo Christi , qui bene omnia fecit ; 2.º quia his con-

tinuò recurrentibus, faciliùs et citius assequeris perfectionem, et fies in Deum dives, si illa rectè feceris; facies autem sic, si in statu gratiae, propter Dei gloriam et debita cum attentione ac fervore perfeceris.

9. Cùm mundus totus in maligno positus sit, et longè faciliùs sit domi latere, quàm foras se posse sufficienter custodire; ideo cellam tuam diligere, nec ab ea ex eas, nisi necessitate compulsus et tui officii implendi causa. In cella invenies quod deforis saepius amites. Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redi.

10. Obsecro te et repetens iterumque monebo, cave imprimis à sexu muliebri, qui (Eccles. vii, 27) consuetus est daemonum laqueus; et ut nunquam tibi sit, sicut fuit innumeris, perdendae vitae et famae causa, has accipe regulas à sancto Hieronymo olim traditas Nepotiano suo, et ab illis ne latum quidem unguem recede.

Hospitolum tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes pueras et virgines Christi, aut aequaliter ignora, aut aequaliter dilige. Ne sub eodem tecto manusites; nec in praeterita castitate confidas. Nec David sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quòd paradii colonum de possessione sua mulier eicerit.

Aegrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, et germana vel mater, aut probatae quaelibet apud omnes fidei. Quòd si huiusmodi non fuerit consanguinitas castimoniaeque personae, multas anus nutrit Ecclesia quae et officium praebeant, et beneficium accipient ministrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat elemosyna. Scio quosdam convalusse corpore, et animo aegrotare coepisse. Periculose tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis.

Si propter officium clericatus, aut vidua à te visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introéas... Solus cum sola absque arbitrio vel teste non sedeas... Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabilius fingi potest ne fingatur ante devita.

Crebra munuscula, et sudariola, et fasciolas, et vestes auro applicitas, ac degustatos cibos, blandasque et dulces litterulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen

meum, meum desiderium, omnes delicias et leporis, et risu dignas urbanitates, et caeteras ineptias amatorum in comoediis erubescimus, in saeculi hominibus detestamur; quantò magis in monachis et in clericis, quorum et sacerdotum proposito, et propositum ornatur sacerdotio.

11. In Sacramentorum administratione, si ad te spectet, bonum et fidelem dispensatorem te semper praebet; nec cuiusquam gratiā, aut metu, aut quā spe temporalis commodi, ab officio tuo tantillū declines. Ad praecipua quinque capita seriò attende: ad Deum, ut glorificetur; ad Sacramentum, ut ritè perficiatur; ad subiectum, ut sanctificetur; ad astantes, ut piè excitentur; ad ministrum; ut crescat in gratia, utque, dum alios à peccati vinculo solvere intendit, seipsum peccati ligamine et catenā non constringat.

12. Quidquid temporis à divinis officiis, ab orationis contemplationisque exercitatione, ab ecclesiasticis functionibus, et ab aliis necessariis actionibus vacuum habes, non in otio, nec verò in rerum novarum curiositatibus illud contere; sed, cùm in sortem Domini vocatus sis, impende in operibus tuo ordini ac statui congruis. (S. Carol.). Quae sint autem illa disce ex concilio Ligonensi, anno 1404. Assiduè et devotè orare, inquit, sicut et lectioni perfectè intendere, sint opera clericorum.

13. Si in morbum incideris, cave ne simul cum corpore anima aegrotet. Non plūs quàm par est arti medicorum confidas, sed magis divine voluntati obtempera. Cùm infirmor, aiebat sanctus Paulus, tunc potens sum... virtus in infirmitate perficitur. Custodi te à murmuratione, et exhibe sicut Dei ministrum in multa patientia. Valetudine novâ sese confirmante, ad tua implenda officia novos animos conceipe. Quae retrò sunt obliviscens, et quasi incipiens ad bravium assequendum, exemplo Apostoli, quotidie contendere.

Pro fine vitae.

Si, Deo dante, non praecipi morte, ut, heu! saepe evenit, abripiaris; sed si contigerit te mentis et rationis

compotem mortem (quamvis saepissime citius quam putatur adveniat) venientem videre, Sacraenta Ecclesiae tempore opportuno postula, et summa cum devotione, astantiumque aedificatione recipe. Ad instar sacrificii Christi pro te in cruce oblati, te totum et tua omnia, in sacrificium boni odoris, sanctissimae Trinitati in aeternum vove, offer, consecra, immola. Variarum virtutum actus, praecipue fidei, spei, caritatis, contritionis, patientiae, divinae voluntati subiectionis, tentationibus renuntiationis, frequenter elicias. Pravâ daemonum arte in duos salutis scopulos saepe impellimur et inducimur, scilicet in praesumptionem et desperationem. Per vitam nimis confisi de salute malè praesumimus; at in morte nimis abiecti, de salute penè desperamus. Contra hos daemonum suggestus, per vitam cum metu et tremore salutem operare; sed in extremis positus, per infinita Christi merita, in bona salutis spe roboreris et confirmeris. *Ille solum diffidat*, inquit S. Bernardus, qui tantum peccare potuit quantum Deus bonus est.

Felix et omni dignus beatitudine, quem extrema dies invenerit sic militantem. (S. Hieron. Epist. ad Julianum).

Canon.

Qui divinis se manciparunt officiis, studeant haec breviter collecta sedulâ meditatione perlegere, et memoriae commendare, et, divinâ adiuuante gratiâ, iuxta vires adimplere. Vocazione ergo quâ vocati sunt, nec ad dextram, nec ad sinistram, declinantes, ambulent; quatenus divinis iussionibus obtemperantes, ad Christum, de cuius sorte esse noscuntur, qui via, veritas et vita est, eo opitulante, pervenire mereantur. Amen. (Conc. Aquisg. ann. 816, l. 1, c. 145).

PARS SEXTA.

MANUALE ORDINANDORUM.

DE ORDINIBUS CONFERENDIS.

Quando episcopus ordinationem facere disposerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, ferâ quartâ ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis, ac in ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandum genus, personam aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet.

Nullus ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur. Sciant tamen episcopi non singulos, in ea aetate constitutos, debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque, nec in minori aetate, nec sine diligentî epis copi examine, ordinentur.

Primâ tonsurâ non initientur, qui sacramentum Confirmationis non suscepint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos, non saecularis iudicij fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.